QUAENAM SIT PLURIBUS GRAVIDITATIS PHOENOMENIS HABENDA...

Basilio Rusconi



QUAENAM SIT
PLURIBUS GRAVIDITATIS PHOENOMENIS
HABENDA FIDES

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS
MAGNIFICO DOMINO RECTORE
AC ILLUSTRIS. FACULTATIS MEDICAE
DIRECTORE ET DECANO
NEC NON CLARIS. D. D. PROFESSORIBUS

PRO

MEDICINAE DOCTORIS

GRADU ASSEQUENDO
IN CELEBERRIMA TICINENSI UNIVERSITATE
PUBLICAM FACIT

BASILIUS RUSCONI

LUGANENSIS.

TICINI REGII.
EX TYP. FUSI ET SOC. SUCCESS. GALEATII.
1819.




294

VIRO . CLARISSIMO

D. CAROLO CAIROLI

IN . IMP. R. TICINENSI . ARCHIGYMNASIO

CHIRVRGIAE . PROFESSORI

PRAECEPTORI . STVDIOSISSIMO

HASCE . STVDIORVM . PRIMITIAS

GRATI . ANIMI . DEVOTIQVE . MONVMENTO

DICABAT . AVCTOR.



Quantum obstetrici medico de graviditate judicium proferre difficultatis afferat, abunde patet ex eo quod casus haud rari in historia medica reperiantur, in quibus viri aliunde celebres, sed creduli nimis in errorem sunt ducti, interdum languentis etiam humanitatis detrimento, et horrore. Sed unde nam ipsorum fallax judicium est ortum? Ab hoc certe, quod illud fallacibus tantum phoenomenis consideratis, neque veris praegnantiae signis, peculiaribus nempe foetus motibus per explorationem recognitis statnere voluerunt. Ut igitur dissertationis argumentum sumeretur, quod, et communem utilitatem respiceret, de quamplurium graviditatis signorum fallacia sermonem habere placuit. Ita enim si muneri nostro satisfacientes, aliorum quoque uti-

litati consulere possumus, nihil amplius nobis desiderandum superest, quum tritum semper in mente sit proverbium: *Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria*.

Inter omnes, quae ab obstetriciae auctoribus recensentur, graviditatis signorum divisiones, exactior, atque perutilis arridet illa, quam clarissimus hujusce Athenaei Professor Cairoli in suis praelectionibus tradit. Merito graviditatis signa in *Rationalia*, et *Sensibilia* dividit ipse, quorum postrema in *Probabilia*, atque *Certa* demum discernit. Rationalia dicuntur, quae primitus adparent, nonnulla ipso eodemque conceptionis actu, nonnulla paullo post se produnt, atque mutationibus infituntur, quas maxime uterum inter caeterasque corporis partes consentionis gratia, mulieris universalis patitur. Sensibilia Probabilia in quatuor primis graviditatis mensibus eveniunt, et a quibusdam inferioris uteri haemispherii, ipsius cervicis, atque oris mutationibus explorationis gratia perceptis, pendent. Sensibilia Certa demum post quartum mensem in medium se produnt, atque a foetus motibus praecipue, ipsiusque regulari usque ad partum evolutione,

nec non ab uteri partium mutationibus per explorationem agnoscuntur. Sed inter omnia graviditatis signa postrema tantum, nempe sensibilia Certa, foeminam in utero prolem gestare, nos tutos facere possunt: neque enim quae Sensibilia et Probabilia, neque eo minus quae Rationalia dicuntur ad graviditatem confirmandam valebunt. Atque ut hujusce assertianis veritas magis elucescat, ipsorum praecipua Rationalibus incipiendo singillatim examinasse juvabit.

In coitu foecundo consueto majorem voluptatem persentiunt mulieres, ad extasin nonnunquam perducentem, quaeque a copiosiori in haec loca humorum orgasmo, atque amissione, a genitalibus turgescentibus, uteri et vicinarum partium rigore forsan derivatur. Hoc vero signum ad graviditatem statuendam valebit? Quot mulieres ob nimiam forsan clitoridis sensibilitatem exquisitissimas sensationes sine facta conceptione perceperunt? Quot econtra matres fuere, quin peculiarem in coitu expertae fuissent voluptatem, interdum etiam abhorentes adipsum cogerentur? Voluptatis sensum varium in mulieribus esse, et fallere posse ob conjugum

ignorantium, et foeminarum quarundam sensationis hebetudinem, testatur Felix Platerus Obs. lib. 1: pag. 260., ubi cujusdam meminit, quae nequidem a primo matrimonialis concubitus actu ullam jucunditatem parsentivit.

Si fertilis coitus fuerit, tremor universalis succedit, languet valdopere foemina, et aegre etiam cogitur ad somnum. Dolor axinde oritur quasi levioris colicae circa umbillicum (1) abdominis inflatio, spastica tensio, et repletio, motus, et calor vagans in infimo ventre, quem excipit horror totius fere corporis (2), artuum tremor, insequente levioris frigoris sensu, ventris sensibilitas adeo increscens, ut vestes et ipsae fastidium afferant. Quid vero de hisce gravidarum symptomatibus sit credendum, quisque facillime concipit, atque videt, quoties ab alis causis, a nimia mulieris sensibilitate, ab exaltata immaginatione pendere possint.

---

(1) Siquidem tormen habuerit (mulier) circa ventrem, praegnans est Hippocr. Sect. V. aph. 41., et Mauriceau illum dolorem ita describit, ut quasi sit *un brouillement du bas ventre*.

(2) Totum corpus in consensum trahit. Harveus de part. pag. 247.

Post conceptum nausea, vomitu, appetitu prostrato vario irregulari laborant mulieres, carnes, alimenta ordinaria, et sana fastidiunt, non communia econtra, uti fructus acerbos, picem, terram, cinerem, carbones, aliaque hujusmodi appetentes Saepe capitis, dentium saepius dolor succedit, tumene gingivae, inflammantur, facile sanguinem mittunt, dentes emoventur, halitus foetens evadit, salivae copiosa adest excretio Oculi languentes (1), retracti, lividi, turbidi, dolentes fiunt, palpebrae a musculis vix sustinentur, atque circulo livido, seu flavescente obducuntur; intumescit guttur, supra corporis superficiem, ac praecipue in facie, et in collo pustulae enascuntur, atque maculae nonnullae, quae Ephelides nuncupantur. Plurimas vero, praeter graviditatem, causas haec omnia phoenomena producere valere, summi testantur viri, et inter eos quod celeb.

(1) Praegnantem mulierem si non ex alio cognoscas, ex hoc cognosces: Oculi videntur distracti et caviores; et candidam in oculis albedinis naturam non habet, sed lividus apparet. Hippocr. de steril. pag. 122.

Zachias (1) scripserit, referremus. „ Fallacissimum praegrantiae signum est „ extranearum rerum appetentia, cum „ et in non gravidis aliquando reperiatur, et in gravidis perpetua non „ sit, sed ad tertium aut quartum „ mensem tantummodo perduret, a secundo incipiens. Neque etiam gravidis omnibus signum hoc est commune, sed iis praesertim familiare, „ quae vel primiparae sunt, vel in quibus vitiosi humores cumulantur in „ ventriculo; fit enim hoc vitium eodem modo, quo pica, seu citta, teste Gal. Aphor. 5. Aph. 61. Quoad maculas, quae in gravidis observantur, scripsit jam Hippocrates (2). Quae utero gerant, in facie maculam habent, quam Ephylim vocant. Hanc vero simplicem esse assertionem patet ex eo, quod plurimae gravidarum eas maculas non habeant, et multae non praegrantium iis maculis deturpentur, praesertim quae aut non debito modo, aut non sufficienter purgantur.

Menstruorum deficientia praecipu-

---

(1) Quaest. Med. Legal. lib. I. Tit. 3. Quaest. I.
(2) In lib. de steril.

um habetur graviditatis signum. „ Si „ mulieri, ait Hippocrates (1), purgationes non prodeant, neque horrore, „ neque febre superveniente; cibi autem fastidia ipsi accedant, hanc in „ utero gerere putato „. Defectum porro menstruorum signum esse praegnantiae falacissimum novimus, si a multiplicibus causis prodire posse consideremus, atque foeminas nonnullas absque ulla valetudinis noxa, quin utero prolem gestarent, diu tributis menstrualibus caruisse.

Post menstruorum suppressionem, mammae incrementum, ac duritiem acquirunt: dolorificae evadunt; earumdem venae coeruleo colore conspicuae magis afferuntur; papilla increscit, turget et fit sensibilior; discus papillam ambiens in latiorem expanditur perypheriam, colore obscuriori notatur, parvisque papillis tegitur; lactis tandem serosi parva quantitas in mammis colligitur et profluit. Aliorum vero adinstar omnia in mammis phoenomena ac mutationes nil ad Graviditatem ponendam nobis certi suppeditare queunt. Si menstrua de-

(1) Sect. V. Aph 61.

ficere, nil mirum, quod, manifestae mammas inter et uterum relationis gratia, turgescant mammae, intumescat papilla, areola extendatur. Equidem falacissimum erit signum lactis secretio; nam et absque eo quod mulier utero gerat, lac aliquando in mammis illi innascitur, ipso asserente Hippocrate, Aphor. Sect. 5. Aphor. 39. *Si mulier lac in mammis habet, neque gravida est, neque peperit, huic menstrua defecerunt.* Signum hocce pariter infirmum reddit observatio, quod etiam in virginibus adhuc virum non expertis, vel menstruorum suppressione, vel quacumque alia de causa, lac interdum in mammillis colligatur. Sed quid ultra, si non solum in mulieribus non praegnantibus et in virginibus, sed etiam in viris lac in mammillis colligi interdum consuescat? Hoc vidit Paulus Zachias, viderunt et alii, ac testatum reliquerunt (1), pluraque exempla habentur apud Schenckium, quin etiam Cardanus (2) refert testimonio illorum, qui

---

(1) V. Arist. lib. I. de hist. anim. Mercur de morb mul lib. 3.
(2) Aphor. Sect. 5. Aphor. 37.

novum orbem lustrarunt, viros pene omnes certis quibusdam locis maximam lactis copiam generare.

Praeter ea, quae hactenus recensuimus, signa Rationalia foeminis fere omnibus communia, extant et alia singulis mulieribus propria. Haec vero quum mere accidentalia interdum, saepe saepius ab exaltata imaginatione prolisque desiderio pendentia cernantur, nihili a Medico obstetrici habenda erunt.

Ast si cuncta Rationalia signa, quorum praecipua retulimus, obstetricem in tutum reddere nequeunt, ut de Graviditate judicium possit certum praebere, num ne ab illorum deficientia, nullam mulierem in utero prolem gestare asserere poterit? Minime profecto. Et quin cuncta singillatim repetemus, quod certissimum a plerisque judicatur examinemus tantummodo, menstruorum videlicet statum. Ex menstruorum apparentia pro certo judicare nequimus, mulieram utero non gerere, cum quaedam et praecipue quae valido temperamento sunt praeditae, atque normali in statu copiose purgantur, praegnantes ad quartum, ad sextum mensem et etiam per totam graviditatis periodum

menstruentur. Hujusmodi exempla ob auctoribus praecipue e Schenckio recensentur et clarissimus Zachias refert, se mulierem quamdam eurasse, quae eum antequam conciperet non bene purgaretur, dehinc utero gerens indesinenter purgabatur. Quin etiam mulierum exempla habentur quae nunquam menstrue observarunt et tamen conceperunt, aliarumque quae sole graviditatis tempore menstrnis purgatae fuerunt. Quibus omnibus concludere licet, vanam esse nullae graviditatis assertionem quae a praesentia menstruorum elicitur.

Sic postquam ex Rationalibus cunctis symptomatibus nihil de Graviditate procerto haberi posse demonstravimus, ed signa quae Sensibilia et Probabilia dicuntur examinanda gradum facimus.

Primis e conceptione diebus per internam explorationem, uti celeberrimus Levret nobis refert, uteri cervix partibus adjacentibus callidior percipitur, quod a flogeseos ferme statu in utero post conceptum excitato pendet. Quantam vero aestimationem tale signum mereatur sequentes probant observationes: 1. quum ipsius permansio sit brevis, difficiliter persentiri potest;

2. accidentale prorsus vel ab aliquo partium istarum morbo pendere potest; 3. interdum penitus deficit, quemadmodum praxis demonstravit, aut non satis sensibile evadit, licet mulier coitum habuerit foecundum.

Orificium uteri clausum conceptionem denotare procerto habent nonnulli, qui Hippocratis (1) auctoritati innituntur; *quae in utero gerunt, harum os uteri clausum est*. Verum est credendum; Hippocratem explorationem vel nunquam vel non quantum satis esset exercuisse, et ex hypothesi tantum signum hoc duxisse. Illis enim temporibus putabatur uteri os virilis spermatis avidum hians atque apertum extare (quin immo obviam ire membro virili descendendo); post conceptionem vero claudi, siti venerea quasi extincta. Hujusce vero praesantia signum est graviditatis falacissimum neque ab ipsius deficientia nihil contra eam deponit. Et revera uteri os in virginibus, excepta menstruorum periodo, clausum invenitur; in mulieribus ante conceptionem est clausum et non nisi forsan

(1) Sect. V. Aphor. 57.

coitus foecundi actu aperitur. Neque econtra uteri apertura clausa est in illis foeminis quae licet praegnantes ad modiam vel ad totum usque graviditatis finem menstruantur; neque semper est clausa ante et post conceptionem in illis quae partus jam plures ediderunt.

Major uteri cervicis crassities atque mollities una cum muci glutinosi hasce partes illinientis secretione, quae omnia ab aliquibus tamquam signa graviditatem denotantia habentur, non ne ab aliis praeter gestationem causis produci queunt? Nonne prorsus accidentalia vel morbi alicujus et falsae praecipue graviditatis effectum esse possunt? Et hisce deficientibus, praegnantem nan esse mulierem tuto affirmabitur? Quoties, ne ullo quidem horum symptomatum existente, natum reapse in utero gestabat mulier, quemadmodum insuper tempus demonstravit!

Posterius aris uteri labium, quod in graviditate crassitie et longitudine crescit, atque aoi alia signum ast praegnantiaa admodum instabile. Dispositionis enim congenitae vel falsae graviditatis effectus esse potest. Gardien caeteroquin testatur, quid quod alii

quidem experti sunt; minime veritati consonum esse, uteri cervicem primis a conceptione mensibus illam semper aequabilitatem praeseferre, verum anterius modo labium, modo posterius magis protractum inveniri. In foeminis autem, quae jam saepius pepererunt qualem nam aestimationem signi hujusmodi existentia; aut defectus mereri potest; quum nos non lateat, in eisdem uteri cervicem atque orificium, propter attenuationem et forsan lacerationem etiam in repetitis partibus perpessam, inaequalia extare; valdeque irregularia? Tale igitur signum, licet mulier non sit praegnans, existere potest, uti econtra deficit interdum, vera reapse graviditate cognita.

Oris uteri rima, quae fere transversalem formam praebet, in mulieribus praecipuae, quae nundum conceperunt, primis graviditatis mensibus pene circularis efficitur. Haec oris uteri mutatio a Stein (1) pro certissimo praegnan-

(1) Il più sicuro segno però dell'attuale gravidanza si è il cangiamento della forma trasversale dell utero in una forma circolare. Questo si può già riscontrar di buon'ora, e non si trova che altri l'abbia per anco osservato. Esso vale non solo per

tiae signum habetur: ast sua valdopere cum fefellit opinio. In prima enim graviditate ad summum aliquam mereri potest aestimationem, ne multam quidem, cum et in ipsa quoque valde inconstans signum haberi debeat. Coetero quoties in mulieribus quae nunquam pepererunt ipsam os uteri circularem figuram habens reperitur? Menstruorum accedente periodo, juxta Osiander, aliorumque (1) observationem uteri cervix formam acquirit fere rotondam, ipsiusque orificium ideo figuram assumit circularem, quam tota menstruationis periodo, et binis etiam tribusve diebus elapsis conservat. In mulieribus autem quae jam plnries ediderunt talem et tantam os uteri saepe saepius alterationem patitur, ut signi hujusmodi praesentia vel deffectus eum in errorum ducere posset, qui in judi-

la prima gravidanza, che seguita ad essere anche nelle gravidanze susseguenti, benchè in queste compaja un poco più tardi, e non in una maniera così del tutto perfetta. V. Arte Ostetricia di G. G. Stein tradotta da G B. Monteggia Sezione 2. cap. 2. §. 173

(1) Claris. Profes. Cajroli hoc iudem potuis observare.

cio de graviditate proferendo illi fidem habere vellet.

Falso quidem autumat ipse Stein, aeque tutum praegnantiae signum evadere mollem atque hemisphaericum tumorem, qui in anteriore uteri hemisphaeri inferioris pariete percipitur: illud enim tam accidentalis causa quam uteri morbus, ac speciatim falsa graviditas producere valent, atque interdum utero etiam praegnante deesse potest.

In secundo a conceptione mense, eoque magis prope tertium uterus in pelvim descendit, ejusque cervix in vaginam paullulum detruditur, atque commodius exploratoris taetui se profert, ita ut partes, quae antea deprehendi non poterant, hac gestationis epocha facillime persentiantur. Hoc signum vero, quod tutum primitus videri posset, pro tali a Medico-Obstetrici nunquam est habendum. Et revera, non omnibus foeminis eadem est uteri cervicis naturalis distantia, nonnullis altior, aliis vero brevior. Praeterea falsa graviditas, vagina brevior, ejusque prolapsus orificium uteri secum trahens, hydrops vel tympanitis uterum deorsum premens, aliaeque hujusmodi morbosae affectiones, huic phoenomeno lo-

cum praebere possunt. Itidem ipsius defectus ad graviditatem excludendam nihil prorsus valebit, quum mulier ob vaginae longitudinem majorem, proindeque altiorem uteri cervicis positionem, etiam si praegnans, tale signum nequeat praeseferre.

Sic praecipuis Rationalibus et Probabilibus praegnantiae signis rite perpensis, clarissime patet, quod ad tutum de graviditate judicium proferendum nihili prorsus haberi debeant; foetusque motus tantummodo ne dum generales, sed et speciales, neque a matre testati, sed a Medico per explorationem recogniti sint considerandi.

THESES DISQUIRENDAE.

I.

Matris lac primum infanti porrectum, ipsius saluti valdopere conducit.

II.

Nulla datur puris efformatio absque praegressa inflammatione.

III.

In graviditate extrauterina gastrotomia instituatur.

IV.

Funiculi umbilicalis deligatio minime necessaria evadit.

V.

Cortex Peruvianus omnibus intermittentibus non convenit.

VI.

Causa morborum proxima idem est ac ipse morbus.

VII.

Nervorum vis vitalis in systemate sanguineo ultima moritur.